Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Aristoteles ethica et oeconomica latine - Cod. Aug. pap. 22

Aristoteles

[Reichenau], [15. Jahrh.]

Teil der Ethica, inc.: Preciosa sunt interdum parvi corporis [...]

urn:nbn:de:bsz:31-72662

Visual Library

Preciosa sunt interdum parvi corporis quod lapilli gemmeque testantur.
Atque ita nonnunquam pusilli grandioribus prevalent ut de Tydeo
scribit Homerus a quo brevi atque exiguo Thebanos omnes certaminibus singulis
superatos fuisse tradit. Statius quoque Homerum secutus Tydeum magnis ani-
mis in exiguo regnabat corpore virtus. Tu igitur Cosma dulcissime huius
quoque libelli ob parvitatem brevitatemque nequaquam spernas. Pusillus quidem est
at viribus amplus et studio dignus. Quem ego per hos ferias e greco in la-
tinum traduxi non immerito ut mihi videor tibi potissimum destinavi. Cui enim
rectius de gubernatione familiaris precepta prestari quam illi qui curam eius habeat.
Cui rursus de rei familiaris administratione quam ei qui rem amplam possidet
et tueri illam cum laude consistit et augere cum dignitate. Licet ergo
tu ipse per te ipsum multa sapias et a patre tuo viro sapientissimo quot-
tidie audire possis. operepretium tamen erit que de re familiari tradiderint
excellentissima philosophorum ingenia cognovisse. Ut enim medicine finis est sani-
tas. Ita rei familiaris divitias finem esse constat. Sunt vero utiles divi-
tie cum et ornamento sint possidentibus. et adiumento exercende suppeditent
facultatem. Prosunt etiam natis. qui facilius per illas ad honores dignitatesque
sublevantur. Nam quorum virtutibus obstat res angusta domi. haut faci-
le emergunt. ut poete nostri dictat sententia. Quare tu nunc tu maiorum
instituta magis continuare. illarum amplificationi quoad honeste possimus stu-
dendum est. Quoniam et apud bonos in bonis numerantur et adiumentum prebent
tradunt. Tu igitur harum precepta rerum in hoc libello Aristotilis leges
quem ego non solum transtuli e greco ut maxime consonum esse putavi. Verum
etiam explanavi quedam obscuriora verborum adiunxi. quo tibi lectio
dilucidior esset. Primum igitur premittendum. duas philosophie esse partes quarum
altera in cognitione rerum. Altera in agendo versatur. Prima pars fere omnibus
patet quorum finis est ipsa cognitio. Activa vero precepta vite continet que
sive pars quoque in duas. Ea vero precepta dividitur tripartitum.
Aut enim circa mores nos instruunt aut circa rem familiarem aut circa rem-
publicam. harum prima ethicam. Secunda economicam. Tertia politicam greci
appellant. Nos ut exprimere nostris vocabulis ut magis decet quam alie-
nis. Nunc ad textum Aristotilis veniamus: —

deppperas et

posside et

et quo

et dis